Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26052
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Uident enim semper eum et diligunt. Et super posuit ipsum firmamentum legis sue
super inferiorem populorum infirmitatem ut ibi suspicientes cognoscant qualiter discer-
nant inter carnalia et spiritualia quasi inter aquas superiores et inferiores. Factumque est
uespere et mane dies secundus.
Dixit uero deus. Congregentur aque que super celos sunt in locum unum et appareat
arida. Augustinus. Hinc quoque questio oritur si totam terram aqua tegebat. Non
erat locus ubi aque congregarentur. cum totam terram tegebat aqua. Et quomodo scriptura dicit.
congregentur aque que sub celo sunt in locum unum et appareat arida etc. Totam terram tegebat
aqua sicut rarissima nebula. que postea in unum redacta atque collecta est. ut possit terre
species apparere. quamquam et terra longe lateque subsidens potuit concauas partes prebere. que
confluentes aquas susciperent ut arida appareret. Ambrosius. Breuiter tamen admonendum
ut quem forte non mouet quando species aquarum terrarumque creata sit. decipiat non esse
isto die factum non ut seruent hec duo. Nam illud quod dictum est ante dierum enumeracionem.
terra erat inuisibilis et incomposita. cum commendaret scriptura huius mundi terram fecerit deus
quia predixerat in principio creauit deus celum et terram. nichil aliud his uerbis intelligendum est. quam
materie corporalis informitatem insinuare uoluisse. Si tamen tardo intellectui non
surrepat ut materiam et speciem. quia uerbis scriptura separat. conetur hec duo tempore separare.
Item ubi supra. Congregentur aque que sup c. s. in locum unum et appareat arida. Quid est ergo non ait fiat arida
uisibilis. vel aqua congregata etc. Quia propinquiora sunt eadem infirmitati que celestia corpora. aut
de his per numeracionem dierum infirma rerum conduntur. ideo infirma uoluit inferre.
ut similiter cum superioribus fieri imparet. Unde super spiritualiter. Terra inquit collegit in unum
aquas inferiores salsas hoc est homines infideles. qui cupiditatum tempestate et tempta-
cionum carnalium fluctibus quaciuntur. et inse ipsis quasi amaritudo includuntur. segre-
gauitque ab eis aridam populum scilicet fontem uite sicientem. obsistitque dehinc super horum limites
et coercuit eos. ne turbulentiis iniquitatum suarum fluctibus aridam id est animam sicientem
deum conturbent. Liceatque ei germinare bonorum operum fructus secundum genus suum. Diliges